



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

LXXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

**D**EVS DEDIT, natione Romanus, ex patre Stephano subdiacono, sedit annis 3. diebus 23. Hic clerum multum dilexit. Sacerdotes & clerum ad loca pristina reuocauit. Cuius temporibus veniens Eleutherius patritius & cubicularius Rauenna, occidit omnes, qui in necem Ioannis Exarchi, & iudicis Reipub. fuerant. Cumq; susceptus esset optimè à sanctissimo Deo sedit Papa, egressus de Roma venit Neapolim, quæ tenebatur à Ioanne Confino antarta. Contra quem pugnando interfecit eundem tyrannum, ingressus Neapolim, & cum eo alios multos: sicq; reuersus est Rauennam, vbi data militibus roga facta est pax magna in tota Italia. Hic constituit secundam Missam fieri in clero. Quo tempore factus est terræmotus magnus mense Augusto, indictione 6. Post hæc secuta est clades scabierum in populo, ita vt nullus esset, qui posset mortuum suum recognoscere. Qui defunctus sub diem 8. mensis Nouemb. sepultus est ad B. Petrum Apostolum. Hic dimisit pro obsequio suo ad omnem clerum rogam vnã integrã. Et cessauit Episcopatus mense 1. diebus 16.

## LXXI.

**B**ONIFACIUS, natione Campanus, de ciuitate Neapoli, ex patre Ioanne, sedit annis 5. Hic constituit, vt testamentum valeat secundum iussionem Principis, & vt nullus trahatur de Ecclesia, nec præsumat acolythus reliquias Sanctorum Martyrum leuare, nisi presbyter, & vt in Lateranis acolythus non baptizet cum diacono, sed subdiaconi sequentes. Eodem tempore ante diem ordinationis eius Eleutherius patritius & Exarchus antarta assumpsit regnum. Qui veniens ad ciuitatem Romanam, in castro, quod dicitur, Luciolus, à militibus Rauennatibus interfectus est, & caput eius delatum Constantinopolim ad piissimum Principem. Defunctus autem beatissimus Bonifacius sepultus est ad B. Petrum Apostolum die 25. mensis Octob. Et cessauit Episcopatus dies 13.

## LXXII.

**H**ONORIUS, natione Campanus, ex patre Petronio Consule, sedit annis 12. mensibus 11. diebus 17. Hic constituit, & decreuit in Ecclesia, vt omni hebdomada Sabbatho die exeat Letania à S. Apollinari ad B. Petrum Apostolum, & cum hymnis & canticis